

Johann Wigand

## **Epitome Sive Corpusculum Doctrinae Sanctae : Pro Ecclesiis & Scholis in Episcopatu Pomezaniensi**

Lubecae: Albertus, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767759427>

Druck Freier  Zugang






Fi-3191.

Gesetzliche Leihbibliothek. Rostock.





E P I T O M E


*Sive*

CORPV-  
SCLVM  
DOCTRINÆ  
SANCTÆ.

*Pro Ecclesiis & Scholis in Epi-  
scopatu Pomezaniensi.*

Per

D. JOHANNEM WI-  
gandum Episcopum Po-  
mezaniensem.

*Johann. v. Wigan-*  
  
*1521*

L U B E C Æ

Typis Laurentij Alberti Biblia-  
pole.

ANNO M. DC. IV.

Ex  
Bibliotheca  
Academicae  
Rostochiensis

PIO LECTORI S.

**R**ogatus ab aliquot bonis viris, ut pro simplicioribus capita quædam doctrinæ sanctæ breviter complecterer, quæ percepto parvo Catechismo Lutheri, facile tradi, disci, repeti, ac recitari possent, hoc corpusculum, Deo dante, adornavi. Retinui autem pleræq; definitiones Methodi nostræ, ut adultiores, Methodum illam nostram, in qua res scitu necessaria paulò plenius expositæ sunt, postea rectè cognoscere possent. Derrahi autem huic Corpusculo nihil rectè posse, scio. Addi verò plurima potuisse, non ignoravi. Sed quia simplicioribus hac opella serviendum erat, addere plura mediocri sanè iudicio, nolui. Sciolos igitur amanter oro, ne hunc libellū sua sapientia contaminent, ac sinant simpliciores hac opella salutariter uti. Domin⁹ Deus, in hac senectæ, & inclinatione totius Mūdi, semen sanctū in his etiam terris clementer conservet, quod Deum rectè invocet, & colat. Benè vale. 1575.

Wigandus.





CORPUSCULUM  
DOCTRINÆ  
SANCTÆ.

*Quis est finis hominis, cur vivit?*

I. Ut pietatem veram discat  
ex verbo Dei, quo regeneretur,  
& Deum rectè cognoscat & co-  
lat.

II. Ut in vocatione legitima  
se, suosq; sustentet, & aliis quo-  
que officia pietatis, & humani-  
tatis exhibeat.

III. Ut in conjugio liberos ad  
cultum DEI educet.

*Ordinem agendorum hæc Senten-  
tia docet.*

Quærite primùm regnum  
DEI, & Justitiam ejus, & hæc  
omnia adjicientur vobis. Mat-  
thei 6.

Cor-

*Corpusculum, seu Methodus doctrinae, quid est?*

Corpusculum doctrinae Christianae, est compendium doctrinae coelestis de Articulis Fidei, & rebus Christiano homini scitu necessariis, ex sacris literis collectum, & ad usum discipulorum accommodatum.

CAPITA PRÆCIPUA  
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ  
*sunt.*

1. De Verbo DEI,
2. De DEO.
3. De Creatione,
4. De homine,
5. De Angelis,
6. De Peccato,
7. De Lege,

DE FINE HOMINIS.

8. De Evangelio, & utriusq;  
discrimine.
9. De Justificatione, & Fide.
10. De bonis operibus.
11. De Baptismo.
12. De Cœna Domini.
13. De Clavibus.
14. De Pœnitentia.
15. De Ecclesia.
16. De Invocatione.
17. De Cruce.
18. De Libertate Christiana.
19. De Cœremoniis.
20. De Magistratu.
21. De Conjugio.
22. De Scandalis.
23. De Resurrectione, & Ju-  
dicio.



## I. CAPUT.

## DE VERBO DEI.

Quid est verbum DEI?

*Verbum DEI est doctrina, à DEO patefacta, & tradita hominibus, de Essentia, & Voluntate DEI, comprehensa Prophetarum & Apostolorum monumentis, per quam DEUS efficax est, donat Spiritum sanctum, regenerat homines, & salvat. Johan. 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.*

*Capita doctrinae caelestis precipua sunt duo, nempe, Lex, & Evangelium, Lucae 24.*

Discrimen inter doctrinam Ecclesiae & Ethnicam, quod est?

*Ethnicorum doctrina tantum est particula Legis de DEO, & ex-*

## DE VERBO DEI.

ternis virtutibus, quantum quidem in natura depravata reliquum est: Ignorat autem Ratio humana doctrinam de Essentia DEI vera, & de Evangelio.

At verbum DEI solidè docet de DEO, de Peccatis, Justitia coram DEO, bonis operibus, Invocatione, & vita aeterna.

Enthusiastæ autem omnes repudiandi sunt.

## II. CAPUT.

### DE DEO.

#### Quid est DEUS:

DEUS est Essentia spiritualis, aeterna, immensa sapientia, & potentia, justa, misericors, liberrima, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Unus DEUS Essentia, trinus personis, conditor, & conservator totius Mundi, & omnium creaturarum, colligens

sibi

*sibi certo verbo in genere humano, omnibus aetatibus, Ecclesiam, eamq; sanctificans, ut hic DEUS, tum in hac, tum in altera vita ab ea cognoscatur, & celebretur. Matth. 28. Euntes, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Quot sunt Dii?

*Unicus tantum est DEUS, juxta dicta, Deut. 6. Audi Israël, Dominus DEUS noster, DEUS unus est. Esa. 44. Ego primus, & ego novissimus, & præter me non est DEUS.*

Quot sunt personæ divinitatis?

*Tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ut verba Baptismi docet.*

*Pater est prima divinitatis persona, quæ ab æterno genuit Filium*

DE DEO.

*sibi coëssentialem, & misit hunc filium in Mundum, ad salutem hominum, Psal. 2. Joh. 6.*

*Filius, est secunda persona, divinitatis, ab aeterno genita à Patre, eique coëssentialis & coomnipotens, qua tempore præfinito carnem humanam assumpsit ex Maria virgine, & tradita est propter peccata nostra, & resurrexit propter Justitiam nostram. Rom. 4. Joh. 1.*

*Spiritus sanctus, est tertia persona divinitatis, procedens à Patre, & Filio, ministerium Ecclesie gubernans, & corda hominum sanctificans. Joh. 20. Gal. 4.*

*Quæ sunt opera DEI præcipua?*

*Quatuor ista. I. Creatio & sustentatio rerum. II. Redemptio generis humani per Christum.*

*III. Col-*

III. Collectio Ecclesiæ, & ejus sanctificatio. IV. Resuscitatio mortuorum, & Judicium de eis.

Turcæ, Judæi, & aliæ gentes, errant in duabus rebus, nempe, de Essentia & voluntate DEI. De Essentia quidem, quia repudiant eum DEUM, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Deinde verò de Evangelio nihil norunt, tantumq̄, particulam Legis retinent.

### III. CAPUT.

#### DE CREATIONE.

Quid est Creatio?

Creatio est opus DEI, quo cælum & terram, & omnes creaturas, omnipotenti suo Verbo condidit & conseruat, ut sese creaturis rationalibus potissimum patefaceret, & ab iis coleretur. Genesis 1. Hebræor. 1. capite.



DE CREATIONE.

*Adesse autem DEUM operibus suis perpetuò, hac dicta testantur, Psal. 147. Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam, Qui producit in montibus fœnum. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Deut. 30. Ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum.*

*Interibit deniq; hic Mundus, ut Christus inquit: Cœlum, & terra transibunt. Verba autem mea non transibunt, Matth. 24.*

IV. CAPUT.

DE HOMINE.

Quid est homo?

*Homo est substantia, condita à DEO, constans anima & corpore, ornata imagine DEI in initio, Sed tota substantia per peccatum horribiliter*

*ter*

ter & spoliata, & depravata est, ac nascitur jam ex mare & fœmina cum peccato: Regenerata autem per Verbum & Spiritum, DEO rursus servit & salvatur: Non autem regenerata, DEO non servit ac damnatur.

*Gen. 1. & 3. Johan. 3.*

*Imago DEI consistebat in quatuor.* I. In Sapiaentia rerum divinarum, & mundanarum quantum quidem DEUS, propter cultus divinos, & vitam rectè agendam, hominibus communicare voluit. II. In Justitia, & integritate corporis & animæ, liberoque arbitrio. III. In Dominio eccellente super animalia. IV. In vita sempiterna & beata. *Gen. 1. & 2. Eph. 4.*

*Status hominum quatuor sunt:*  
I. Ante lapsum, Integritatis.

DE HOMINE.

II. Post lapsum, Corruptionis.  
III. Regenerationis, ex Verbo  
& Spiritu in Ecclesia. IV. Glori-  
ficationis in vita cœlesti, qui erit  
perfectissimus. Gen. 1. Joh. 3. & 6.

DE LIBERO AR-  
bitrio.

*Liberum arbitrium hominis post  
lapsum, est facultas voluntatis, res  
Rationi subjectas, & ab ea iudicatas,  
aliquomodo apprehendendi, & exe-  
quendi, vel repudiandi, nisi impedi-  
atur furore affectuum, aut à Satana.  
Est q̄, opposita coactioni, & naturali-  
ter agentibus. In rebus verò spiritu-  
alibus & divinis, non habet eam fa-  
cultatem homo non renatus, ut gra-  
uissimè Paulus asserit. 1. Corinth. 2.  
Animalis homo non percipit  
ea, quæ sunt Spiritus DEI. Stul-  
titia*

titia enim sunt illi: & non potest ea intelligere.

*Liberum arbitrium renatum, est facultas per Spiritum sanctum, & Verbum DEI accensa & gubernata, qua etiam spirituales res renati amplectuntur, & prosequuntur, & contrarias repudiant. Sed illa facultas inchoata tantum est in hac vita: Perficietur autem in altera, Ephes. 2. Ipsius opus sumus, creati per JESUM CHRISTVM ad bona opera, ad quæ præparavit nos DEUS, ut in eis ambulemus. Damnandus igitur est Pelagianismus vetus, ac recens.*

V. CAPUT.

DE ANGELIS.

*Duplices sunt Angeli, Boni, & Mali, ut testantur historia sacre.*

Boni

DE ANGELIS.

*Boni Angeli sunt substantiæ spirituales, creatæ à DEO, intelligentes, bonæ, liberæ voluntatis, quæ integritatem, & justitiam suam originalem retinuerunt, Ministerium suum erga DEUM, & homines summa fidelitate exequentes. Hebræor. i. Omnes sunt ministrætes spiritus, in Ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Psal. 91. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

*Mali Angeli sunt substantiæ spirituales, à DEO creatæ, intelligentes, quæ non retinuerunt integritatem & justitiam suam originalem, seseq; à DEO avertentes, in peccatum prolapsæ sunt, & factæ sunt ho-*

*stes*

*stes DEI, ac totius generis humani.*  
*Gen. 3. & in Juda Epistola.*

*Duo Diabolis tribuit Christus,*  
*Joh. 8. nempe, mendacia & homici-*  
*dia. Et 1. Pet. 5. scriptum est: Ad-*  
*versarius vester Diabolus tan-*  
*quam Leo rugiens circumit,*  
*querens quem devoret. Cui for-*  
*tes resistite in Fide.*

## VI. CAPUT.

### DE PECCATO.

Quid est peccatum in ge-  
 nere?

*Peccatum est vel defectus, vel*  
*inclinatio, vel actio contra Legem*  
*DEI, offendens DEUM, & comme-*  
*rens iram aeternam, nisi fiat remissio*  
*propter Filium Mediatorem. 1. Joh.*  
*3. sic definitur: Peccatum est ano-*  
*mia, id est, discrepantia à Lege.*

Unde est peccatum?

*A Dia-*

DE PECCATO.

*A Diabolo, & hominibus, & non  
à DEO. Gen. 3. Psal. 5. Non vo-  
lens DEUS iniquitatem, tu es,  
Pœnæ peccatorum quæ  
sunt?*

I. Depravatio totius Naturæ hu-  
manæ, *Gen. 3. Rom. 8.*

II. Ira DEI in Lege expressa,  
*Rom. 1.*

III. Tyrannis Diaboli, *Gen. 3.*

IV. Maledictio terræ, *Gen. 3.*

V. Mors, complectens omnis  
generis calamitates, hujus vitæ,  
& post hanc vitam, in non a-  
gentibus pœnitentiam,

Quotuplex est peccatum?

*Duplex, Originale & Actuale,  
Rom. 5. & 6.*

*Originale peccatum, est caren-  
tia justitiæ & integritatis originalis,  
quæ primis hominibus à DEO erat*

*data,*

*data, & reatus propter lapsum eorum, ac depravatio horribilis in tota substantia hominis, quæ mala à primis parentibus in omnes posteros, naturali propagatione derivantur, eosque reos iræ DEI, & damnationis efficiunt, nisi per Verbum & Spiritum fiat regeneratio.*

*Psalmo 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Roman. 5. Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransit, eò quòd omnes peccaverunt.*

Damna peccati originalis  
quæ sunt?

I. Ipsum peccatum originis, est

hor-



DE PECCATO.

horribilis depravatio naturæ  
humanæ. *Rom. 7.*

II. Est scaturigo quasi omnium  
interiorum, & exteriorum pec-  
catorum contra Legem DEI,  
*Matth. 15.*

III. Iram DEI affert, & omnis  
generis calamitates, *Roman. 5.*

IV. Æternam damnationem  
affert, nisi homo regeneretur,  
*Joh. 3.*

Prorsusne in hac vita à peccato  
originis liberamur?

*Minimè. Culpa enim, seu rea-  
tus per Baptismum aufertur: Et in-  
choatur renovatio per Spiritum san-  
ctum, Sed non penitus expurgatur  
morbus, seu lues, in renatorum natu-  
ra manens, Roman. 8. Nulla nunc  
damnatio est his, qui sunt in*

CHRISTO JESU. *Ibidem: Cor-*

pus

pus mortuum est propter peccatum.

*Actualia peccata, sunt peccati Originalis mali fructus, exteriores & interiores, contra Legem DEI, propter quos homo fit reus ira DEI, & aeternae damnationis, nisi per CHRISTUM gratuitam accipiat peccatorum remissionem. Matth. 7. Mala arbor malos fructus profert.*

Dic aliam peccatorum diuisionem?

*Quaedam appellantur Mortalia, seu Regnantia peccata, quaedam vero Venialia, seu non regnantia. Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore vestro.*

*Mortalia peccata sunt, peccatum Originis in non renatis, & omnis generis malitiosi fructus peccati originalis, quae fiunt contra conscientiam,*

& de

DE PECCATO.

Et de quibus non agitur pœnitentia.  
Rom. 8. Si secundum carnem vi-  
xeritis, inoriemini.

Venialia, seu non regnantia,  
peccata sunt in renatis ac credenti-  
bus, reliquia peccati originalis, Et  
omnis generis imbecillitates inde pro-  
fluentes, externe Et interne, qua  
per se quidem dignæ sunt morte, sed  
pii non delectantur iis, Et quotidie  
petunt de iis quoque peccatis remissi-  
onẽ à DEO propter CHRISTUM,  
Et ope Spiritus Sancti eis reluctan-  
tur. Rom. 8. Nihil nunc damna-  
tionis est his, qui sunt in CHRI-  
STO JESU. Item: Si spiritu a-  
ctiones carnis mortificaveritis,  
vivetis.

Peccatum in Spiritum sanctum  
est, Veritatem divinam per Spiri-  
tum sanctum agnitam, contra suam

ipsi-

*ipsius conscientiam, verbis & factis finaliter blasphemare.*

VII. CAPUT.  
DE LEGE DEI.

Quotuplices sunt Leges DEI?

*Triplices. Moralis sive Decalogus, Ceremonialis & Forensis.*

Quid est Lex Moralis, seu Decalogus?

*Lex DEI est doctrina, ab ipso DEO hominibus in creatione prima insita, & postea in monte Sinai iterum patefacta & tradita, præcipiens quæ facere, & prohibens quæ omittere oporteat, requirens integram & perfectam obedientiam, interiori & exteriori, ex omnibus viribus & membris hominis, & damnans omnes, quotquot eam purissimam & absolutissimam obedientiam non præstant. Deut. 27. Maledictus*

qui

DE LEGE DEI.

qui non implet omnia verba  
Legis, opere perficiendo ea. Cō-  
pendium autem hujus Legis est De-  
calogus, *Exod. 20.* Cujus enarratio  
extat. in parvo Catechismo Lutheri,  
huc pertinens.

Officia Legis, seu usus quot  
sunt?

*Tres.* I. Ostendere obedien-  
tiæ summam, ad quam omnes  
homines à DEO creati & obli-  
gati sunt. *Exod. 20.*

II. Ostendere, accusare & da-  
mnare peccata interiora & ex-  
teriora, contra primam & se-  
cundam tabulam commissa.  
*Roman. 3.* Lex est cognitio pec-  
cati.

III. Novæ obedientiæ normam  
credentibus ostendere, & reli-  
qua in eis peccata & imbecilli-

tates

tates perpetuò arguere. Rom. 8.  
 Debitores sumus, Rom. 6. Libe-  
 rati à peccato, servi facti estis  
 justitiæ.

*Lex natura in hominibus corru-  
 ptis, est particula Legis divina, in a-  
 nimis hominũ post lapsum adhuc re-  
 liqua, testificans esse DEUM remu-  
 neratorem Justitiæ, & vindicem  
 peccatorum, complectens discrimen  
 honestorum & turpium in secunda ta-  
 bula potissimum. Nam Lex DEI  
 fuit primis hominibus insita, Et postea  
 in monte Sinai iterum à DEO repe-  
 tita est. Exod. 19. & 20.*

Possuntne renati in hac vita im-  
 plere Legem DEI?

*Non possunt. Nam Lex DEI in-  
 tegerrimam & absolutissimam obedi-  
 entiam, internam & externam flagi-  
 tat. Rom. 7. Paulus inquit: Lex spi-*

DE USU LEG. DIVINÆ.

ritualis est, Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum.

*Tribus autem modis CHRISTUS in nobis Legem DEI implet.*

I. Imputando nobis Legis impletionem à se factam, voce Evangelii, quam Fide amplectimur, *Rom. 4.*

II. Inchoando in renatis Legem in hac vita, *Rom. 7.*

III. Restituta nobis integritate, perfectam Legis divinæ obedientiam, in vita cœlesti præstabimus, *Rom. 7.*

VIII. CAPUT.

DE EVANGELIO.

*Vox Evangelium, significat faustum ac latum nuncium.*

Quid est Evangelium?

*Evangelium propriè est doctrina dulcissima, à DEO patefacta, de*

*gra-*

gratuita remissione peccatorum, ex  
 misericordia, propter CHRISTI me-  
 ritum, conscientis veram, firmamq;  
 consolationem afferens. Luca 2. Ro-  
 man. 1.

Prima concio Evangelii in pa-  
 radiso revelata est. Gen. 3. Inimici-  
 tias ponam inter te & mulierē,  
 & inter semen tuum & semen il-  
 lius. Ipsum cōteret caput tuum.

Idem Christus tradit, Johan. 3.  
 Sic DEUS dilexit Mundum, ut  
 Filium suum unigenitum daret,  
 ut omnis qui credit in eum, non  
 pereat, sed habeat vitā æternā.  
 Differentiæ Legis & Evangelii  
 quot sunt?

Tres. I. A Notitiis, Lex DEI i-  
 nitio natura humana insita est, &  
 adhuc aliquo modo naturaliter nota  
 est. Roman. 2. Evangelium, verò



DE EVANGELIO.

*non est natura notum, Sed peculiari-  
ter à DEO est revelatum. Joh. 1.*

II. A promissionibus. *Lex habet  
promissionem cum conditione propria  
& integra impletionis, juxta illud,  
Luc. 10. Hoc fac & vives. At E-  
vangelium habet promissiones gratu-  
itas propter CHRISTUM. Ephes. 2.  
Gratia salvati estis per fidem, &  
hoc non ex vobis: DEI donum  
est: non ex operibus, ne quis  
glorietur.*

III. Ab effectibus. *Lex accusat,  
terret & mortificat, Rom. 4. Lex i-  
ram operatur. Evangelium ve-  
rò absoluit à peccatis, & vivifi-  
cat. 2. Corinth. 3.*

Debentne utræquè doctrinæ  
tradi?

*Maximè, Sed suo ordine. Luc. 24.  
Prædicate pœnitentiam & re-*

*missi-*

missionem peccatorum. Antinomi igitur rejiciendi sunt, qui dicunt Legem DEI non in Ecclesia pradicandam, sed in curiam relegandam esse. Et qui docent: Evangelium propriè sic dictum, terrere & mortificare específicas differentias Legis & Evangelii confundentes.

## IX. CAPUT.

DE REMISSIONE PECCATORUM, seu de Justificatione peccatoris coram DEO.

Justitia peccatoris coram DEO, est gratuita & paterna imputatio integra impletionis Legis, per Christum nostra vice prestita, & remissio peccatorum omnium, quam SOLA Fide in CHRISTUM accipimus, sine operibus ac meritis nostris. Sicut & David explicat Beatitudinem hominis, cui DEUS impu-

DE JUSTIFICATIONE.

tat Justitiam absque operibus, Rom. 4. Item Rom. 3. Justificamur gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in CHRISTO JESU, quæ proposuit DEUS propitiationem, per Fidem in sanguine ejus.

Quis hanc justitiam peperit?

*JESUS CHRISTUS, verus DEUS & homo in una persona existens, idq; per passionem suam, & perfectissimam obedientiam, loco totius generis humani. Phil. 2. Esa. 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras. Attritus est propter scelera nostra. Castigatus est, ut nos pacem haberemus, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, Unusquisque in suam viam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquita-*

tes

tes omnium nostrum. *Roman. 4.*

Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram,

Quomodo hæc justitia hominibus distribuitur?

*Per Verbum gratia, & per Sacramenta ei addita. Matth. 28.*

Quo medio nos eam Justitiam apprehendimus?

*Fide. Juxta dictum Job. 3. Qui credit in Filium DEI, habet vitam æternam. Item Marci 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.*

Quæ causæ sunt, propter quas Deus remittit peccata?

*Misericordia Dei gratuita, & meritum Christi, Joha. 3. Sic Deus DILEXIT Mundum, ut FILIUM suum unigenitum daret, &c.*

DE JUSTIFICATIONE.

Quibus vult DEUS peccata  
remittere?

*Omnibus peccatoribus agentibus  
pœnitentiam, juxta dictum: Vivo e-  
go, nolo mortẽ peccatoris, Sed  
ut convertatur & vivat. Ezech.  
33. Item: DEUS vult omnes ho-  
mines salvos fieri, & ad agnitio-  
nem veritatis venire. 1. Timoth.  
2. cap.*

Causæ, propter quas EXCLU-  
SIVÆ retinendæ sunt,  
quæ sunt?

*Quatuor.* I. Ut suus honos  
Christo maneat.

II. Ut conscientia sit certa de  
remissione peccatorum.

III. Ut invocatio pleniori fidu-  
cia fieri queat.

IV. Ut discrimen Legis & Ev-  
angelii sit conspectius.

Cur

Cur dicis, SOLA FIDES NOS  
justificari?

*Quia Fides tantum est illud organon, quo misericordiam illam DEI gratuitam, ac meritum CHRISTI complectimur. Joh. 3.*

Deinde, quia Scriptura clarissime inquit: NISI per fidem. Gal. 2. Item: Sine lege: sine operibus legis: gratis per gratiam. Rom. 5.

*Tertio. Ne in hunc articulum ulla opera seu merita humana implicentur, & maneat consolatio peccatoribus, credentibus in CHRISTUM, rata & firma. Rom. 4. Ideo ex Fide gratis, ut firma sit promissio.*

Quid differunt Justitia operum  
& Justitia Fidei?

*Omnes Justitia operum, sive renatorum, sive gentilium, sunt imperfecta & mutila Legis divinae obedi-*

entia. Non igitur justificant coram DEO, Rom. 3. Ex operibus Legis non justificatur OMNIS caro coram illo. Per Legem enim cognitio peccati.

At justitia Fidei, est perfectissima Legis obedientia, facta per Christum, quæ nobis in Christum credentibus, imputatur, ac donatur. Galat. 4. Rom. 4 Et hac justitia CHRISTI coram DEO reputamur & sumus justii, Philip. 3. Ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex Fide est Christi, quæ ex DEO est, Justitia per Fidem.

Rectene docent Pontificii, Fide & operibus simul nos justificari?

Non. Rationes sunt. I. Quia pugnat cum Verbo DEI, Roman. 3.

Statuimus justificari hominem per Fidem sine operibus Legis, *Rom. 4.* Ei autem, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur Fides sua ad justitiam.

II. Pugnat cum merito CHRISTI. *Gal. 2.* Si per Legem justitia est, frustra Christus mortuus est.

III. Pugnat cum exemplis, quia Abraham, exemplum omnium credentium, sine operibus justificatus est. Sic & alii.

IV. Quia si penderet nostra coram DEO justificatio ex nostris quoque operibus, nullius peccatoris conscientia posset esse certa de propitio DEO, *Rom. 4.* Ideo ex Fide secundum gratiam, ut firma sit promissio. V. Evangelii promissio est gratuita, *Rom. 3.*



Dubitandumne est, an simus in  
gratia DEI?

*Nequaquam.* I. Quia dubitatio  
meritum CHRISTI extenuat,  
II. Promissionem Evangelii e-  
nervat.

III. Sacramenta applicantia, &  
obsignantia gratiam DEI anni-  
hilat.

IV. Fons est desperationis, o-  
mnem consolationem pavidis  
conscientiis adimens.

FIDES quid est?

*Fides est notitia articulorum  
Symboli, & assensus, & applicatio eo-  
rum ad sese, & est fiducia acquiescens  
in gratuita misericordia DEI, &  
CHRISTO propitiatore, quæ mon-  
strat promissio. Joh. 3. Qui credit in  
me, habet vitam æternam. Fi-  
des autem ex auditu est, Audi-*

tus per verbum DEI, Roman. 10.  
capite.

*Proprietates fidei sunt quatuor:*

I. Notitia articulorum Fidei, &  
assensus. II. Applicatio ad sese,  
juxta promissiones DEI. III. Fi-  
ducia in CHRISTO propitiato-  
re, statuens se certò ex miseri-  
cordia, propter CHRISTUM,  
habere remissionem peccatorù.  
IV. Assensus ante experienci-  
am, juxta Verbum revelatum.

*Fides Diabolica tantùm habet noti-  
tiam historiae CHRISTI, sine fidu-  
cia, nitente Evangelicis promissioni-  
bus.*

X. CAPUT.

DE BONIS OPERIBUS.

Suntne bona opera NECES-  
SARIA?

*Sunt.* I. Quia DEUS ea præ-

DE BONIS OPERIBUS.

cepit. *Rom. 8.* Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus.

II. Regeneratio, & donatio Spiritus sancti id postulant. *Rom. 6.*

Liberati à peccatis, servi facti estis justitiæ.

III. Promissiones præmiorum extant. *1. Tim. 4.* Pietas habet promissionem hujus, & æternæ vitæ.

IV. Comminatio poenarum extat. Fornicatores, idolatræ, & adulteri, &c. regnum DEI non possidebunt. *1. Corint. 6.*

Bona opera quid sunt?

*Bona opera sunt opera, à Deo certo verbo mandata, quæ debent fieri in Fide, hoc fine, ut DEUS per ea celebretur, & proximo inserviatur.*

Quæ bona opera facienda sunt?

*In Decalogo mandata, quæ pas-*

*sim*

*sim in sacris literis explicantur. Eze-  
20. In præceptis meis ambulate.  
Qui possunt ac debent bona o-  
pera facere?*

*Renati per Verbum & Spiritum.*

*Ephes. 2. Ipsius opus sumus, creati  
per CHRISTVM JESUM ad  
opera bona, quæ præparavit  
DEUS, ut in illis ambulemus,  
Titum 2.*

*Quomodo placent DEO bona  
opera?*

*Per Fidem in CHRISTUM.*

*I. Persona statuat se esse acce-  
ptam & in gratia, gratis propter  
Christum. II. Statuat, inchoatã,  
& mutilã obedientiam propter  
Christum Deo Patri ex miseri-  
cordia placere, Rõ. 8. 1. Pet. 2. Of-  
ferentes spirituales hostias, acce-  
ptas Deo per Jesum Christum.*

*Quæ*

DE BONIS OPERIBUS.

Quæ sunt causæ, cur bona opera renatorum non sint perfecta?

I. Quia peccatum originis in hac vita non penitus ex natura humana excinditur. II. Quia Lex DEI absolutissimam obedientiam, interiorem & exteriorem, requirit. III. Quia Diabolus variis modis impediméta objicit.

FINES bonorum operum  
qui sunt?

I. Celebratio DEI. *1. Cor. 6.* Glorificate DEUM in corpore & Spiritu vestro, quæ sunt DEI. *1. Cor. 10.* Omnia ad gloriam DEI facite.

II. Utilitas proximi. *Matth. 5.* Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. *1. Pet. 2.*

III. Ne

III. Ne excutiatur Spiritus sanctus, & bona conscientia. Nam peccatis contra conscientiam, amittitur fauor DEI, & salus, & locus datur Diabolō. *1. Johan. 3. Matth. 12.*

IV. Ne nobis aut aliis pœnas accersamus, *Deut. 18.*

V. Præmia in hac & altera vita. *1. Timoth. 4.* Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, & quæ nunc est, & futuræ. Estne propositio vera, Bona opera sunt necessaria ad salutem?

*Non. I.* Quia falsi Apostoli sic docuerunt, ut S. Paulus ad Galatas ostendit.

II. Honori CHRISTI derogat. Nam non est in alio quoquam salus. *Actor. 4.* Omnium autem

lin-

DE BONIS OPERIBUS.

linguarum usu, CAUSA (in hac oratione) includitur, cum dicimus, esse NECESSARIUM AD ALIQUID.

III. Depravat Evangelii vocē, quæ inculcat exclusivas: sine Lege: sine operibus Legis: gratis: per gratiam: tantum per Fidē, *Rom. 3. & 4. Ephes. 2.*

IV. Impossibile est, conscientias peccatis consternatas posse firmam tenere consolationem, si nostra quoq; bona opera sunt necessaria ad salutem. S. Paulus ait, se in loco justificationis sua opera rejicere, *Phil. 3.*

V. Tollit discrimen Legis & Evangelii.

VI. Sunt fructus Fidei, & indicia salutis, bona opera, *Phil. 1. cap.*

Ele-

Electicia opera, cultus gratia  
excogitata, suntne pro-  
banda?

*Non. I. Quia Electicia opera,  
cultus gratia excogitata, dicun-  
tur ea, quorum nec species, nec  
genus in verbo DEI comprehē-  
sum est. II. Christus inquit: Fru-  
stra me colunt, docentes doctri-  
nas & mandata hominū. Matth.  
15. Ruit igitur totus Monachatus, &  
similes ἑτεροθρησκείαι.*

XI. CAPUT.

DE SACRAMENTIS.

*Sacramenta in novo Testamento,  
sunt ritus à Christo immediatè insti-  
tuti, quib⁹ promissio gratiæ, & remis-  
sionis peccatorum, externo ac visibili  
Elemento est annexa, & cuilibet re-  
tētētī hac ordinatione, ac institutio-  
ne Christi, applicatur & cōfirmatur.*

*Ver-*



DE SACRAMENTIS.

*Verbum igitur expressum, hoc est, promissio gratia, & mandatum ad omnes pertinens, & deinde Elementa certa, faciunt Sacramentum. Quae verò hæc non habent, propriè quidem Sacramenta dici nequeunt.*

*Sunt autem duo Sacramenta à CHRISTO tradita: Baptismus scilicet, & sacra Cœna.*

*BAPTISMUS quid est?*

*Baptismus est actio, à CHRISTO, certo mandato ac promissione Evangelii instituta, in qua omnes homines, suo regno initiandos, vult aqua tingi, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, atque in ea actione homines regenerat, & applicat remissionem peccatorum, & æternam salutem. Matth. 28. Marci 16.*

*Effectus Baptismi sunt. I. Applicatio & obsignatio remissionis*

pec-

peccatorum propter CHRISTUM, *Marci 16.* Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.  
 II. Renovatio & inchoatio novæ obedientiæ, *Rom. 6.* Cõsepulsi sumus cum CHRISTO per Baptismum in mortem, ut quæadmodum CHRISTUS surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. *Hæc autem omnia vox Regenerationis complectitur.*

Suntne infantes baptisandi?

*Ita.* I. Quia CHRISTUS hoc præcepit inquiring: Baptisate omnes gentes.

II. Quia infantes indigent hac regeneratione, *Joh. 3.* Nisi quis renatus fuerit.

III. CHRISTUS inquit, *Marci 10.* Sinite parvulos ad me veni-

re,

DE BAPTISMO.

re, & nolite prohibere eos, talium enim est regnum cœlorum.

IV. Circumcisio in infantibus fuit efficax.

V. Origines inquit, Ecclesiam Christi, inde usq; à tempore Apostolorum, Baptismum infantibus contulisse.

*Anabaptista igitur errant. Nec rectè docent Sacramentarii, infantes renatorum ante Baptismum esse in gratia.*

XII. CAPUT.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Domini?

*Cœna Domini est verum corpus, & verus sanguis Domini nostri IESU CHRISTI, sub pane & vino nobis Christianis, ad manducandum, & bibendum, ab ipso CHRISTO instituta.*

Reli-

*Reliqua ex parvo Catechismo  
Lutheri petantur.*

Evanescitne substantia Elemé-  
torum, recitatis verbis Testa-  
mentis Dominici?

*Non.* I Quia Christus Eleméta  
sensib<sup>o</sup> perceptibilia, voluit hu-  
ic sacrae actioni verbo suo anne-  
ctere. Sed umbræ rerum non  
possunt tactu & gustu percipi.

II. Paulus testatur, in usu cœnæ  
esse panem & vinum, non speci-  
es tantum illorum. *1. Corinth. II.*

Quando manducabitis panem  
hunc, & calicem bibetis, mor-  
tem Domini annunciabitis.

III. Veteres Transsubstantiatio-  
nis commentum ignorarunt. *Anno  
enim Dn. 1215. primū hæc prava opi-  
nio est publicè à Pontificiis ratificata.*

IV. Est fons Artolatriæ.

Offer-

Offerrine debet Cœna pro vi-  
vis & mortuis?

*Non.* I. Quia CHRISTUS in-  
quit: Accipite, edite, bibite. Sed  
mortui non possunt amplius e-  
dere aut bibere. II. Tantum u-  
nicum est Sacrificium expiato-  
rium, nempe, mors CHRISTI.  
*Hebr. 10.* Unica oblatione con-  
summavit sanctos. III. Offerre  
CHRISTUM ratione sacrificii,  
est iram DEI in eum derivare,  
& iterum sistere eum passioni, id  
quod est crudele facinus. Paulus  
inquit *Rom. 6.* CHRISTUS pec-  
cato mortuus est semel. IV. A-  
postoli de sacrificio Missæ nihil  
noverunt, neque ii, qui mox eos  
secuti sunt. V. Inest multiplex  
Idololatria. *Errant igitur Ponti-*  
*ficii.*

*SACRAMENTARI* docent, corpus & sanguinem *CHRISTI*, abducta esse à terra, & contineri in caelis, nec reddi ante novissimum iudicium: & hæc verba *CHRISTI*, Hoc est corpus meum: sic intelligenda esse, hoc significat corpus meum, & fructus tantum corporis *CHRISTI* tibi datur, Estne hæc sententia vera?

*Non.* I. Quia est contra τὸ πρῶτον Verborum *CHRISTI* clarè dicentis, *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.* II. Quia relativum *QUOD* determinat certò, quòd sit ipsissimè corpus *CHRISTI*: *QUOD*, inquit, pro vobis traditur. Non est autem figura corporis tradita. III. Quia Paulus inquit, *1. Corin. 10.* Calix benedictus est participatio sanguinis *CHRISTI*, Panis quem frangimus, est par-

C tici-

DE COENA DOMINI.

ticipatio corporis Domini. IV. Evangelistæ & Paulus congruunt. V. Nullus saniorum Patrû ponit negativam, hoc est, quod ibi non porrigatur, & accipiatur verum corpus Christi. VI. Glosa Sacramentariorum est varia, inconstans, partim quoq; blasphema.

XIII. CAPUT.

DE CLAVIBUS ECCLESIAE.

Quid sunt claves Ecclesiæ?

*Claves Ecclesiæ sunt potestas spiritualis, ab ipso CHRISTO immediate instituta, tum de applicanda & annuncianda certa remissione peccatorum serio pœnitentibus, tum de annuncianda certa damnatione manifestis, scandalosis & præfractis peccatoribus, iisq; tanquam publicanis habendis, idq; Verbi Ministerio, in Nomine & autoritate Christi.* Du-

DE CLAVIBUS.

*Duas igitur Claves Ecclesie Christus instituit, solventem & ligantem. Matth. 16. & 18. Joh. 20. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata in terris, remissa erunt in caelis: & quorum retinueritis in terris, retenta erunt in caelis.*

XIV. CAPUT.

DE POENITENTIA.

Quid est Pœnitentia?

*Pœnitentia est vera ad DEUM conversio, qua complectitur contritionem, & Fidẽ, cujus fructus est nova obedientia, Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

*Partes pœnitentiæ sunt duæ: Cõtritio & Fides. Marci 1. Agite pœnitentiam, & credite Evágelio. Hic enim est ordo sese ad Deum convertendi.*



DE POENITENTIA.

Contritio, est cognoscere aliquo modo peccata interiora, & exteriora, ex Lege DEI, & cohorrescere propter offensionem DEI, & meritas pœnas, & dolere propter peccata, cum proposito suam vitam corrigendi. Roman. 7. Peccatum non cognovi, nisi per Legem. Jere. 31. Postquã convertisti me Domine, egi pœnitentiam, confusus sum, & erubui.

Fides est fiducia in misericordiam DEI, gratis propter CHRISTUM mihi peccatori remittentis delicta omnia, est q̄ ex Evangelio. Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Luc. 15. Gaudium est in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta novem justis,

qui

qui pœnitentia non indigent.  
*Rom. 5.* Ubi abundavit delictum,  
 superabundavit, & gratia.

*Nova obedientia, sunt opera re-  
 natorum per Spiritum sanctum, qua  
 sunt juxta Decalogum, & quidem in  
 Fide, ad celebrationem DEI, nostrã,  
 & proximi utilitatem. Appellantur  
 autem fructus pœnitentia. Matth. 3.  
 Facite fructus dignos pœnitentia.*

*Causæ exhortantes nos ad pœni-  
 tentiam maturam hæ sunt. I. Pec-  
 cata nostra multa. II. Manda-  
 tum DEI. Joel. 2. Scindite cor-  
 da vestra, & non vestimenta  
 vestra & convertimini ad Do-  
 minum DEUM. III. Prodigia,  
 & inclinationes regnorum,  
 IV. Pœnæ privatæ & publicæ,  
 temporales atq; æternæ. V. Præ-  
 mia hujus & æternæ vitæ. VI.*

DE POENITENTIA.

Incertitudo vitę nostrę. VII. Ju-  
dicium novissimum jam instās.  
*Pictura igitur de decem virginibus*  
*sępę nobis in conspectu versetur. Mat-*  
*thęi 25.*

*Lapsos in peccata, iterum agentes*  
*pęnitentiam, recipi, cum credunt in-*  
*Christum, docet ipsemet Servator.*  
*Matth. 18. Ubi inquit: Septuagies*  
*septies esse remittendum. Et ora-*  
*tio Dominica jubet petere: Remitte*  
*nobis debita nostra. Et David,*  
*Petrus, & alii lapsi in peccata aliquo-*  
*ties, tamen rursus confugientes ad*  
*Mediatorem CHRISTUM, iterum*  
*in gratiam recepti sunt.*

*Pontificii tres partes pęnitentię*  
*asscribüt, nempe, contritionem cordis:*  
*confessionem oris: & satisfactionem o-*  
*peris.*

*Sed hæc omnia tantum ad Legem*

per-

pertinent, ideo nihil in eis est solatii. Fidei enim in CHRISTUM nulla fit mentio, imò ei derogatur per satisfactiones istas humanas.

Contritionem ajunt perfectam esse oportere, & mereri suo opere veniam, id quod contra Scripturam est.

Confessionem auricularem volunt esse omnium peccatorum enumerationem, quæ tamè impossibilis est. Nam delicta quis intelligit? Psalm. 19.

Satisfactio tribuit operibus humanis, quod solius est CHRISTI, & plena est superstitionibus & blasphemis.

Inter Judæ & Petri pœnitentiam interest, quòd Judas non erigit se Fide in CHRISTUM, ac desperat: Petrus verò Fide à CHRISTO Salvatore petit veniam, & impetrat.

DE ECCLESIA,

XV. CAPUT.

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

*Ecclesia DEI in terris, est visibilis cœtus amplectentium incorruptam DEI doctrinam, & legitimè utentium Sacramentis, juxta CHRISTI institutionem, in quo cœtu DEUS per Ministerium Evangelii efficax est, & multos ad vitam æternam regenerat, in quo cœtu tamen etiam multi sunt non sancti, sed tamē de doctrina cōsentientes, nec sunt publicè & rectè excommunicati. Joh. 10. Oves meæ vocem meam audiunt. Esa. 59. Matth. 13.*

Notæ veræ Ecclesiæ quot sunt?

*Quatuor. I. Verbum DEI incorruptū, absq; fermento Pharisæorum. Esa. 51.*

II. Le-

II. Legitimus usus Sacramento-  
rum divinitus institutorum,  
*Matth. 28.*

III. Confessio sanæ doctrinæ,  
*Matth. 5. & 10.*

IV. Obedientia Ministerio de-  
bita, juxta verbum DEI, *Lucæ*  
*10. Ebr. 13.*

Notæ falsæ Ecclesiæ quæ  
sunt?

*Quatuor.* I. Verbi divini, &  
articulorum Fidei corruptelæ.

II. Sacramentorum CHRISTI  
laceratio & prophanatio.

III. Idololatriâ, seu superstiti-  
osi cultus.

IV. Persecutio doctrinæ veræ,  
& rectè sentientium. *Hasce infâ-*  
*mes notas habet Ecclesia pontificia o-*  
*mnnes. Ergo CHRISTI vox est:*  
Alienum non sequuntur, sed fu-

DE ECCLESIA.

giunt ab eo. *Job. 10. Galat. 1. Johan. 2.*

*Potestas verò Ecclesia, est potestas legitimè docendi verbum Dei, & administrandi Sacramenta, absolvendi pœnitentes, & ligandi pertinaces, & scandalosos, verbo in sacris literis tradito, absque vi corporali.*

De Ministris Ecclesiæ.

*Propheta est persona, immediate vocata à DEO, ad docendum verbum DEI, habens certa testimonia, quòd non erret, & habet peculiare revelationes de rebus futuris, quas denunciat, ac interdum simul quedam politica, pro DEI arbitrio administrat.*

*Apostolus est persona, immediate à CHRISTO vocata, & ornata donis linguarum & miraculorum, ablegata in Mundum universum, ad*

do-

docendum Evangelium *JESU* Christi, & administranda eius Sacramenta, & habet sua doctrinae certa testimonia divina.

Episcopus est persona mediatè vocata, ut *VERBUM DEI* doceat, & Sacramenta *CHRISTI* juxta ipsius institutionem administret, certo loco, nec habet divinæ testimonia, quòd non erret.

Diaconus, sive minister, sive Doctòr verbi *DEI* idem est, quòd Episcopus, nisi quòd ordinis gratia, interdum Episcopus habet inspectionem super alios pastores, & regit judicia Ecclesiastica. Hodie Episcopi passim dicuntur Superintendentes.

## XVI. CAPUT.

### DE INVOCATIONE

### DEI.

Quid est Invocatio *DEI*?



DE INVOCATIONE.

*Invocatio est colloquium cum DEO vero, quo ea, quæ nobis sunt necessaria, sive spiritualia, sive corporalia, sive in genere, sive in specie, proponimus, ac petim⁹ Fide per CHRISTUM, & juxta patefactam eius voluntatem, auxilium, certiquè sumus, nos exaudiri propter Mediatorem: vel, quo etiam pro acceptis beneficiis gratias agimus.*

Quæ sunt in oratione consideranda?

*Quatuor. I. Quis sit compellendus de Invocatione. II. Quomodo Invocatio sit facienda. III. Quæ sint à DEO petenda. IV. Mandata & promissiones, quòd certò exaudiamur.*

Quis est invocandus?

*Verus DEUS sicut se patefecit, Pater scilicet, Filius, & Spiritus san-*

*ctus.*

*Etus. Deut. 6.* Dominum DEUM  
tuū adorabis, & illi soli servies.

Quomodo invocatio est fa-  
cienda?

*In Nomine CHRISTI, ut ipse  
docet. Joh. 16.* Amen, Amen dico  
vobis, si quid petieritis Patrem  
IN NOMINE meo, dabit vo-  
bis. *Hoc est, ut Fide statuamus, pro-  
pter CHRISTUM nos habere DE-  
UM reconciliatum, & hunc Media-  
torem nominemus, & propter eum  
credamus, nos omnis generis bona ac-  
cepturos esse. Marc. 11.* Omnia quæ-  
cunque orantes petitis, credite  
quod accipietis, & contingent  
vobis.

Quid est à DEO petendum?

*Omnis generis bona, spiritualia  
& corporalia, ad hanc presentem &  
eternam vitam pertinentia. 1. Joh. 5.*

DE INVOCATIONE.

Hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quòd, quicquid petierimus secúdam voluntatem ejus, audit nos.

*Spiritualia absque conditione petenda sunt, certa persuasione, quòd ea simus accepturi, quia sic se DEUS revelavit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, Ezech. 3.*

*Corporalia autem, cum conditione petenda sunt, ut nos Dei voluntati subiiciamus, & tamen credamus, Deum vel hoc quod petimus, vel aliquid melius daturum. Aba. 2. Si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Mandata & Promissiones aliquot recita.*

*Psal. 50. Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Matth. 7. Petite &*

acci-

accipietis. *DEUS* ipse mandavit invocationem, & requirit hūc cultum præcepto secundo. Sit igitur mēs certa, se exaudiri, & *DEUM* hoc labiorum sacrificio in primis delectari.

Suntne mortui Sancti invocandi?

*Non.* I. Quia solus *DEUS* invocandus est. *Deuter. 6.* Dominum *DEUM* tuum adorabis, & illi soli servies. II. Sancti non sunt omnipotentes, *hoc est*, nō possunt omnium hominum corda perspicere, nec habent potestatem cœli & terræ. III. Fides tantum *DEO* tribuenda est, non creaturæ. IV. Unus est Mediator tantum, in cuius *NOMINE* petēdū est. *1. Tim. 2. Ioh. 16.* V. Nullum vel præceptū, vel exemplū de Invocatione mortuorum, in sacris

lite-

DE INVOCATIONE.

literis extat. VI. Nulla extat certa revelatio, an illi mortui, qui invocantur, omnes sint glorificati. *Est igitur invocatio Sanctorum mortuorum horribilis Idolomania, & nota Antichristi. Quomodo autem honorandi sint Sancti, ipsorum sanam doctrinam amplectendo, & facta verbo DEI consona imitando, & prædicando in eis dona DEI, aliàs explicatur.*

XVII. CAPUT.

DE CRUCE.

*Omnes mortales variis arumnis in hac vita subjecti sunt. I. Propter peccatum originis, & actualia peccata. II. Propter tyrannidè Diaboli. Eas autem calamitates tum temporales, tum æternas, in non renatis, hæc vox DEI complectitur: Quocunq; die comederis ex ea,*

mor-

morte morieris, *Gen. 2. Sed nos hic de cruce Ecclesie dicemus.*

Afflictiones piorum quotuplices sunt?

*Quadruplices.* Aut sunt δοκιμασία, id est, probationes, ut in *Jobo.* Aut τιμωρία, id est, pœnæ, ut *exilium Davidis.* Aut μαρτύρια, id est, testimonia, ut *Johannis decollatio.* Aut λύτρον, ut *solius CHRISTI passio.*

CAUSÆ, cur Ecclesia DEI cruci subjecta est, quæ sunt?

I. Propter peccatum hærens in natura hominum etiam renatorum, quantum hoc sit malum, & propter peculiaria delicta etiam renatorum, ut ea seriò cognoscant, & remissionem ardentius expetant, ac deinceps cave-

ant.

DE CRUCE.

ant. *Mich. 7.* Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *1. Cor. 11.*

A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

II. Ut rabiem Diaboli pii cognoscant. *1. Pet. 5.* Adversarius vester Diabolus circumit, &c.

III. Ut invocatio piorum magis excitetur. *Esa. 26.* Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione anxie clamant.

IV. Ut Fides magis probetur, luceat & innotescat. *1. Pet. 1.* Paulisper affligimini variis tentationibus, ut probatio Fidei vestre multo preciosior pereunte auro, quod per ignem probatur, inveniatur.

V. Ut DEI miraculosæ protectiones & liberationes magis observentur. *1. Samuel. 2.* Dominus

mor-

mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.

VI. Ut pii fiant conformes CHRISTO. *Rom. 8. 1. Pet. 4.*

VII. Ut doctrina vera obfignetur martyriis. *Apoc. 6. & 12.*

VIII. Ut pii desiderent cœlestem patriam. Nam hic sunt peregrinantes, nec habēt manentem civitatem, *Heb. 13.*

IX. Ut discrimen veræ, ac falsæ Ecclesiæ, item discrimen verorum, & falsorum membrorum Ecclesiæ DEI appareat. *Matt. 13.*

X. Ut re ipsa constet, restare aliam vitam post hanc, ubi pii gloriam pro hac ignominia consequentur. *2. Cor. 4.* Momentanea & levis tribulatio nostra æternā & supra modum magnam gloriam parit nobis.

CON-



DE CRUCE.

CONSOLATIONES IN CRUCE  
sunt.

I. Non casu, nec DEO ignorante nos affligi, *Mat. 10.* Omnes capilli capitis vestri numerati sūt.

II. DEUM agentibus pœnitentiam esse propitium, *Luc. 15.*

III. Bona conscientia, *1. Pet. 3.* Si quid patimini propter justitiam, beati estis.

IV. CHRISTUM vicisse Diabolum & Mundum, *Joh. 16.* In Mũdo pressuram habebitis, sed confidite, Ego vici Mundum.

V. Non solos nos esse, vel desertos esse in cruce, sed habere parastatas DEUM & Angelos, *Psal. 91.* Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, *Joh. 14.* Non relinquam vos orphanos.

VI. De-

VI. DEUM velle mitigare crucem, *1. Cor. 10.* Fidelis est DEUS, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, & faciet etiam tentationis exitum, ut possitis sustinere.

VII. Promissiones de auxilio, *Psal. 34.* Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

VIII. Piis afflictiones cedere in bonum, *Psal. 119.* Bonum mihi Domine, quòd humiliastime, ut discerem justificationes tuas.

IX. Omnes Sanctos in hac vita esse crucigeros, Sic prædicente CHRISTO & Paulo.

X. Non futuram hanc crucem perpetuam, *Psal. 55.* Non dabit in æternú fluctuationem iusto.

XI. Gloria æternæ vitæ, *Rom. 8.*

Exi-

DE LIBERT. CHRISTIANA.

Existimo, quod non sunt con-  
dignæ passionēs hujus tempo-  
ris, ad futuram gloriam, quæ re-  
velabitur in nobis.

XVIII. CAPUT.

DE LIBERTATE CHRIS-  
TIANA.

Libertas Christiana in quot  
rebus consistit?

*In tribus.* I. In liberatione à  
maledicto Legis. *Johan. 8.* Si vos  
Filius liberaverit, verè liberi e-  
stis. *Gal. 3.* Christus nos redemit  
à maledicto Legis.

II. In liberatione à legibus cæ-  
remonialibus & forensibus Mo-  
sis. *Coloss. 2.*

III. In libertate traditionum &  
cæremoniarum humanarum,  
sed tamen citra scandalum. *Gal.*  
*5.* In ea libertate, qua vos CHRI-

STUS

stus liberavit, state, & ne iterū  
jugo servitutis implicemini.

Suntne Christiani liberi à no-  
va obedientia?

*Non.* Quia Christus inquit:  
*Matth. 7.* Arbor bona fructus bo-  
nos profert. Paulus ait, *Rom. 8.*  
Debitores sumus. *Item: Rom. 7.*  
Mente servio Legi DEI.

XIX. CAPUT.

DE CÆREMONIIS HUMA-  
nis Ecclesie DEI.

*Duplices sunt Cæremonia huma-  
na: Adiaphoræ scilicet, hoc est, me-  
dia seu libera: Et Impiæ, pugnantes  
cum verbo DEI, quæ prorsus sunt ab-  
olenda.*

Cæremonia humana Ecclesie  
DEI quid sunt?

*Cæremonia humana Ecclesie Dei,  
sunt ritus, ab hominibus in Ec-*

*cle-*

DE CÆREMONIIS.

*clesia constituti, propter ordinem, decorum aut ædificationem, neque sunt in verbo DEI expressè vel præcepti vel prohibiti, eamq; ob causam citra peccatum servari, vel omitti possunt.*

*Quæ vitiant Cæremonias illas humanas?*

*Quatuor potissimum. I. Necessitas seu lex, & coactio, Galat. 5. II. Quando fiunt cultus Dei, & merita vitæ æternæ. III. Accumulatio nimia, verbi divini prædicatione impediens. IV. Quando scandalum præbent defecti-  
onis, aut destructionis.*

XX. CAPUT.

DE MAGISTRATU.

*Quid est Magistratus?*

*Magistratus politicus, est vocatio seu munus in genere humano, à DEO institutum, ut una certa per-*

*sona,*

sona, vel plures, aliis juxta certas & honestas leges præsint, pacem, externam disciplinam & justitiam juxta Decalogum tueantur, & delicta vi corporali, & pro eorum conditione, ferro severiter puniant. Rom. 13. Proverb. 20.

Officia Magistratus quæ sunt?

I. Nutritium esse Ecclesiæ DEI, & servire CHRISTO, Psal. 2. Esa. 49.

II. Custodem esse utriusq; tabule Legis, instituere & tueri leges honestas, disciplinam & jus dicere. Psal. 82.

III. Punire fontes juxta leges, & tueri bonos, ac publicam pacem defendere. Rom. 13. DEI est minister, tibi in bonum. Si autè malè feceris, time. Non enim sine causa gladium gestat. DEI

D enim

DE MAGISTRATU,

enim minister est, vindex ad pœnam ei, qui malè agit.

*Potestas politica, est potestas à DEO ordinata, qua Magistratus honestas leges in politia condit, aut conservat. & exequitur, puniens delicta etiam vi corporali, publicæ disciplina, pacis, & justitiæ causa. Gen. 9. Roman. 13.*

XXI. CAPUT.

DE CONJUGIO.

Quid est conjugium?

*Conjugium est vitæ genus, à DEO immediatè ordinatum, in quo mas & scemina legitimo modo copulantur indissolubili vinculo, ut simul liberos educant, scortationes vitent, mutuam sibi operam, ac dilectionem præstent, juvent què edificationem Ecclesiæ DEI. Genesis 2. capite.*

Fines

Fines conjugii quot sunt?

*Tres.* I. Ut genus humanum multiplicetur. *Gen. 2.* Crescite, & multiplicamini.

II. Ut mutua sibi officia præstet in omni vita. Ideò conjunx adiutorium appellatur. *Gen. 2.*

III. Ut vitentur vagæ libidines, & earundem pœnæ. *1. Cor. 6.* Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum suum habeat.

Vota castitatis, sine miraculoso ejus dono suntne probanda?

*Non, sed sunt impia.* I. Quia sunt contra verbum *DEI, 1. Cor. 7.* Melius est nubere quam uri, *Item,* propter fornicationem, &c.

II. Quia sunt contra *DEI* creationem & judicium. Nō est BONUM,



DE CONJUGIO.

inquit (*Gen. 2.*) hominem esse solum. III. Creat DEUS adhuc homines ad conjugium idoneos. IV. Paulus prohibitionem conjugii, vocat doctrinam dæmoniorum, *i. Timoth. 4.* V. Nulla Lex in verbo DEI extat de voto castitatis perpetuæ, religionis ergò præstando. VI. Cœlibatus Pontificius Mundum replevit tetrifornicationibus, id quod notorium est.

XXII. CAPUT.

DE SCANDALIS.

*Scandalū est, quo quis offenditur ac leditur, à σκάνδαλον, id est, claudico.*

*Est q̄ duplex: Datum & Acceptum.*

*Scandalum datum, seu mala rei, est doctrina falsa, vel factum impium, cujus contagio, vel damno alii*

*affi-*

*afficiuntur, turbantur, seducuntur, & deteriores fiunt. Matt. 18. Necessesse est ut veniant scandala, Veruntamen v̄ homini, per quem veniunt scandala.*

Acceptū scandalum, seu Pharisæicum, seu bona rei, est impiorum offensio, ira, calumnia, propter sinceram DEI doctrinam, & necessaria ac pia facta: *Qualia sunt, abolitio Idolatricorum cultuum, usus veræ Christianæ libertatis. Matt. 11. Beat⁹ qui non fuerit in me scandalifatus.*

**XXIII. CAPUT.**

*DE MORTE, RESURRECTIONE, & extremo iudicio.*

*Mors est dissolutio corporis & animæ, & reliquæ pœna omnis generis, temporales & æternæ, propter peccatum. Gen. 3.*

*Resurrectio mortuorum, est*

DE RESURRECTIONE.

opus Dei, quo in novissimo die omnes mortuos homines, omnipotentia sua, juxta verbum suum, resuscitabit in vitam, ac vocabit ante tribunal Christi, ut deinceps in aeternum, pro Christi sententia, vel in inferni cruciatibus, vel in cæli gaudiis vivant. Matthæi 24. & 25. I. Corin. 15.

Job. 19. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturò sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Judicium postremum, est actio Jesu Christi, qua de resuscitatis mortalibus omnibus, & in nubes ad se tractis sententiam feret, atq; exequetur e vestigiò, ut qui in ipsum credi-


de-

derunt, transeant in vitam beatam :  
 Qui verò non crediderunt, abeant in  
 sempiternum ignem. Matth. 25.

Infernales cruciatus, sunt inenarrabiles angustia, dolores, tormenta in corpore & anima, quæ omnes impii cum Diabolis propter peccata, ex ira Dei, in omnem æternitatem, sine omni fine perpeti cogentur. Matt. 25.

Cœlestia gaudia, sunt inenarrabilis dignitas, justitia, lux, letitiaquæ hominum credentium, in qua recuperata imagine Dei integrè, Deum coram visuri, & cum Angelis, totoque Sanctorum choro ipsum veneraturi & celebraturi sunt, in omnem usq; æternitatem, Matthæi 25.

FINIS CORPUSCULI DO-  
 CTRINÆ SANCTÆ.  
 LAUS DEO.



DEFINITIO  
NES QUÆDAM VIR-  
TUTUM ET VITIORUM

juxta Decalogi præcepta,  
collectæ à

D. JOHANNES WIL-  
GANDO.

AD I. PRÆCEPTUM  
pertinentes,

**F**IDELITAS, est credere in  
CHRISTUM, & per Spi-  
ritum sanctum inchoare, &  
exercere opera Decalogi, erga DEUM  
& homines, in timore DEI & Fide,  
1. Timoth. 4.

NOTITIA DEI VERA,  
est notitia Essentia & voluntatis  
DEI, juxta Legem & Evangelium,

pate-

*patefacta in monumentis Prophetarum & Apostolorum, & accensa per Spiritum sanctum, ut DEUS rectè colatur & celebretur. Exod. 20.*

**IGNORANTIA DEI** est, ex verbo sacro, veri Dei cognitionem & cultum non discere, & ex tenebris humanis Idola gignere, vel agnitum DEUM, Epicuræ securitate floc-cifacere, Psal. 14.

**SCRUTATIO MAJESTATIS DIVINÆ**, est præter Verbum DEI, gloriosam & interioremem eius Essentiam, aut voluntatem non revelatam, curiosè scrutari, & errores gignere. Prover. 25.

**IDOLOLATRIA**, est Divos factitios invocare, & cultibus soli DEO debitis, prosequi, aut verum Deum non mandatis cultibus venerari. Psal. 115. 1. Cor. 8.

DEFINIT. VIRTUTUM

**TIMOR DEI** est opus primi precepti, metu offensionis DEI Patris, cum reverentia & amore filiali cauens delicta, & Fide petens veniam lapsuum ac gubernationem in tota vita, ne ira DEI, aut pœna attrahantur. *Kindelliche Furcht.*

**SECURITAS**, est vitium contra primum preceptum, quo mens hominis non agnoscit peccata sua contra Legem DEI, vel leviter saltem agnoscit, neq. reputat & exhorrescit irã DEI & pœnas, sed pergit peccata absq. omni conscientia accumulare, vel excusare. Dicitur & Epicureis- mus & ἀναλμοία, **STUPOR.**

**PERTINACIA** seu obstinatio, est non agnoscere peccata, licet Lege arguantur, aut pœnis castigentur, Sed pergere, & ea defendere,

ex-

*excussis DEI minis. Pertinet huc FEROCIA. Esa. 1.*

**REPROBUS SENSUS**, est contra suam ipsius conscientiam peccata tetra committere, & eis indulgere, ac delectari, nec amplius pro peccatis reputare. Roman. 1. Vocatur etiam **PERVERSITAS cordis. Jerem. 17.**

**TIMOR SERVILIS**, est metu pœnarum potentissimi DEI, tantum cavere delicta, sine amore filiali & Fide, & agnitis peccatis fugere DEUM.

**FUGA DEI**, est Lege territante tantum intueri Deum nostris peccatis offensum sine Fide, & pœnas Dei stulta corporis fuga velle declinare aut vitare: ut in Adam lapsa, & in Jona videre est.

Fidei definitio in Corpuscule recitata est pag. 17.

DIF-



DEFINIT. VIRTUTUM

**DIFFIDENTIA**, est peccatum contra primum præceptum, quomens posthabito DEI verbo, in necessitatibus non tribuit DEO confidenter voluntatem erga se propitiam, & potentiam opitulandi, & suo arbitrio aliquid molitur, aliiquæ rei confidit.  
 Mißglauben / Mißtrawen.

**DUBITATIO**, est de voluntate DEI propitia erga sese, quam Evangelium revelat, & Sacramenta applicant, atq; obsignant, ambigere, & in DEI arcanum arbitrium reponere, nec tamẽ prorsus desperare.

**PRÆSUMPTIO**, est aliquid contra Verbum DEI moliri aut suscipere, persuasione insana, favorem DEI ea ratione non excuti.  
 Vermessenheit. Sed DEUS non vult, id est, non probat iniquitatem.  
 Psal. 5. Item: Non est θεσωπολήτης.

**DILECTIO DEI**, est affectus & actio, qua cor **DEUM** tanquam creatorem, & benefactorem suum clementissimum ardentem completitur, eum veneratur, & cum quadam letitia in ipso acquiescente, ejus mandata observat. Deut. 6. Matt. 22.

Timor ergo filialis tribuitur **DEO** tanquam Eminentis, & Patri, & Zelotæ.

Dilectio tanquam bono, & benefico.

Fiducia tanquam veraci, & potenti.

**ODIUM DEI**, est cordis motus, seu habitus, quo **DEUM** verum, ejusq; verbum, & cultus veros averfatur, & contra hæc omnia machinatur, Ut in Saule apparet.

**HYPOCRISIS** est simulatio pietatis, verbis factisq; externis, &

DEFINIT. VIRTUTUM

persuasio propriae justitiae coram Deo,  
cum aliorum contemptu. Luc. 18. P O-  
LITICA HYPOCRISIS,  
est simulatio disciplina, seu benevolē-  
tia, corde scatente, & sordente super-  
bia & pleonexia multiplici.

S P E S est certa expectatio vitae  
aeternae juxta promissionē Evangelii,  
& est expectatio mitigationis calami-  
tatum in hac vita, juxta Dei consili-  
um, Psal. 30. Rom. 5. 1. Pet. 1.

D E S P E R A T I O, est conside-  
ratio peccatorum, irae Dei & poenarū  
ex Lege divina, & tantopere propter  
eorum gravitatem & atrocitatē ex-  
horrescere, ut peccata majora cense-  
antur ipsa D E I gratia, omnisq; ve-  
nia, aut reconciliationis spes prorsus  
excutiatur, ac succumbere doloribus.  
Comitatur autem plerunquē fremi-  
tus, ac voces blasphemiae in D E U M,

¶

Et abruptio propria vite violenta, ut in Iuda, Spiera, Et aliis videre est.

## AD II. ET III. PRÆCEPTUM.

Invocatio quid sit, in Corpusculo extat, Pag. 28.

STUPOR, est non cognoscere Dei beneficia, vel pœnas ejus, Et securitati, ac vitiis indulgere, nec invocare DEUM serio. Vocatur Et TORPOR.

ADORATIO CREATURARUM, SIVE VIVARUM SIVE MORTUARUM, est idololatria, honorem soli Deo omnipotenti convenientem, creaturis contra Verbum Dei attribuens. Roman. 1.

MAGIA, est peccatum contra secundum præceptum, quo sub No-

DEFINIT. VIRTUTUM

*mine DEI, fiunt pacta cum diabolo, deserto vero DEO, & exercentur prestigia, cum abusu horrendo nominis divini. Levit. 19.*

*EXECRATIO, est alicui mala imprecari cum usurpatione nominis divini, contra DEI verbum. Vocatur & maledictio temeraria. Ein Fluch. Aliud autem est maledictio DEI, qua est concio Legis de ira, & pœnis commertis.*

*GRATIARUM ACTIO ERGA DEUM, est agnoscere beneficia DEI spiritualia & corporalia, ex liberali bonitate & misericordia nobis donata, eaq; magnifacere, predicare, & vicissim DEO omnem pietatem juxta ejus præcepta spondere, ac præstare. Psalm. 135.*

*INGRATITUDO ERGA DEUM, est dona DEI non agno-*

*sce-*

scere, nec magnificere, nec predicare,  
grataq; DEO non vicissim facere.  
Ose. 2.

**SUPERSTITIOSA**  
**GRATITUDO**, est in honorem  
DEI aliquid tribuere, vel facere, cō-  
tra verbum DEI. Ut Petrus vole-  
bat tria tabernacula extruere. Mat-  
thæi 17. cap.

**CONFESSIO FIDEI**, est  
testimonium vera Religionis, hoc est,  
doctrina & cultuum divinorum, &  
facta necessaria ad Fidem pertinētia,  
quod testimonium, juxta verbū DEI  
editur, ac dirigitur ad laudem DEI,  
adificationem Ecclesia, & salutem  
proximi, Matth. 5. & 10.

**APOSTASIA**, est vel in-  
cruce, vel extra eam, palam, vel te-  
ctè, ab agnita veritate DEI deficere,  
nec ei testimonia debita perhibere, &

vel

DEFINIT. VIRTUTUM

vel in Epicureismum, vel in falsa dogmata, & cultus impios sese immergere, ventris gratia. Huc pertinet & abnegatio, Abfall / Verleuchnung.

**PERTINACIA IN ERRORIBUS**, est falsa dogmata, seu cultus impios, pro veris propugnare, nec vel institutionibus, vel pœnis flecti, ut ea abjicias.

**JURAMENTUM**, est asseveratio de re possibili & licita, qua Deus compellatur testis, quòd vera dicantur, & fit obligatio spontanea, ut Deus puniat, si quis fallat. Heb. 6.

**PERJURIA**, sunt violationes Juramentorum, sive prætenu aliquo astute quæsito, sive absq; eo, in alterius fraudem, ac damnum.

**JURAMENTA IMPIA, ET INJUSTA SERVARE**, est addere peccata peccatis.

PRÆ-

**PRÆDICATIO VERBI DEI**, est doctrinam à Deo traditam, nempe, Legem & Evangelium, sine corruptelis purè, dextrè, fideliter docere, & falsa dogmata, impiosq; cultus refutare, sive in Ecclesiastica functione, sive in Scholis, sive alibi, pro vocatione. Titum 1.

**INCONSTANTIA IN RELIGIONE**, est in doctrina Dei pro mutatione temporum & hominum, hinc inde nutare, & dicere hominibus placentia, honoris, favoris, & commodorum gratia. Tales homines & Vertumni, Eceboli, Arundines, mollibus vestiti, placentiloqui, & ventricola meritò vocantur.

**HÆRESIS**, est ab articulis Fidei discessio, ac falsorum dogmatum, pugnantium cum eis, pertinax defensio, Titum 2. Distingui igitur de-

bet



## DEFINIT. VIRTUTUM

bet à lapsu infirmitatis, ubi correctio-  
ni locus præbetur. Augustin: Errare  
possum, hæreticus esse nolo.

**CULTUS DEI**, est opus  
mandatum à DEO, quod fit in Fide,  
ut Deus hac obedientia celebretur.

**SUPERSTITIO**, est time-  
re, diligere, colere, observare aliquid,  
tanquam divinum, efficax, aut salu-  
tare, vel noxium, cum abusu nominis  
DEI, contra ejus verbum, & con-  
tra naturales causas: Ut, tribuere a-  
qua lustrali vim pellendi diabolum,  
igni consecrato vim arcendi fulmina,  
cera sacra adscribere nomen Agnus  
DEI, & tribuere ei vim sanctifican-  
di, & mirabilia efficiendi.

**BLASPHEMIA**, est opinio,  
vel sententia, vel dicta & facta, cum  
expresso verbo Dei pugnantia, in cõtu-  
meliam Dei manifestam, & atrocem.

SAN-

**SANCTIFICATIO SABBATI**, est festis diebus docere fideliter, & audire attentè, ac discere Verbum DEI in cœtu publico, & conjungere suas preces, ac laudes DEI cum aliis, & sacris meditationibus totum hunc diem transigere, & opera charitatis non omittere, ad honorem nostri creatoris, & sanctificationem hominum. Postea etiam huc pertinet Ecclesia, & Scholarum conservatio.

**PROPHANATIO SABBATI**, est non docere festis diebus pro vocatione verbum DEI, sed cæremoniis tantum indulgere, vel falsa & superstitiosa tradere & exercere, vel negligenter docere, vel non frequentare cœtus, ubi sacra doctrina traditur, & preces communes fiunt, vel peregrinantibus animis interesse, & tantum ocio, fastui ac luxui eo die sese

dede-

DEFINIT. VIRTUTUM

*dedere, vel opera, sacras illas actiones  
impedientia, citra inevitabilem ne-  
cessitatem, suscipere.*

AD IV. PRÆCE-  
PTUM.

**DILECTIO PROXIMI,**  
*est amor in corde, quo aliis hominibus  
quibuscumque omnis generis officia nobis  
possibilia, in hac vita amanter, prom-  
ptè, ac fideliter, juxta Dei præcepta  
præstamus.*

**HONOS,** *est opus quarti præ-  
cepti, quo parentum aut superiorum,  
aut aliorum excellentiam, divinitus  
ipsis tributam, aut dona & merita a-  
gnoscamus, eos rectè veneramus, &  
debita eis officia præstamus. Roman.  
12. capite.*

**PHILOSTORGIA,** *est conjun-  
ctos sibi naturaliter, aut matrimonio,*

*aut*

aut aliqua arcta necessitudine, amore ardentem complecti, & officia eis debita cum suavi affectu prestare. Ps. 194.

**CONTUMELIA IN ALIOS**, est conjunctiones, dona, merita, excellentias aliorum non agnoscere, vel floccifacere, nec eos iuste venerari, sed potius dedecorare, nec debita eis officia prestare, sed variis modis nocere.

**ASTORGIA**, est naturales affectus erga parentes, sanguine & meritis junctos, exuere, & eis cum amarulentia, debita officia subtrahere, vel nocere.


**PROSOPOLEPSIA**, est personis aequalibus, debita officia inaequaliter distribuere, vel contra. Indebita verò officia, qui pro suo arbitrio inaequaliter, vel aequaliter distribuit, non est prosopolepta.

DEFINIT. VIRTUTUM

**DISCIPLINA**, est gubernatio morum in externa obedientia, juxta Decalogum, ac pœna justa delinquentium. Differunt autem discipline juxta status hominum, in Ecclesia, politica, æconomia, aliisq; functionibus.

**INDULGENTIA**, est connivere ad vitia, & peccata eorum, qui sub tua sunt disciplina, nec ea reprehendere, aut legitimè punire, cum exitio petulantium, & aliorum, juxta illud Mantuani: Blanda patrum segnes facit indulgentia ratos.

**TYRANNIS** est contra leges nimis severiter alios tractare, aut punire, aut modum pro ratione circumstantiarum, delictorum, & hominum, non observare.



## AD V. PRÆCEPTUM.

**HUMANITAS**, est alios homines cum favore complecti, eosq<sup>3</sup> officiis, & honore juxta Decalogum prosequi, juxta illud: Homo homini DEUS.

**COMITAS**, est gestibus, verbis factisq<sup>3</sup> humanitatem, facilitatem, suavitatem pra se ferre, ad alios juvandos & ornandos. Opponitur autem morositati, & inhumanitati.

**URBANITAS**, est decorum in gestibus, dictis, factisq<sup>3</sup> observare, dignum homine literis aut disciplina exculpto. Opponitur autem Rusticitati.

**MOROSITAS**, est alios homines aversari, aut asperè se erga eos gerere, nec eos officiis & honoribus juvare, atq<sup>3</sup> ornare, *μισοειρημία*.

**CRUDELITAS**, est con-

E

tra

DEFINIT. VIRTUTUM

tra leges, aut sine *ἄμενεια* alios tractare, aut opprimere, & gaudere aliorum sanguine, & interitu.

**EPICHÆREKAKIA**, est aliorum miseris gaudere, & insultare calamitosis, falsis dictis, & contumeliosis factis. Ut Semei. 2. Sam. 16.

**INVIDIA** est vitium, aliis invidens dona **DEI**, honorem, excellentiam, successus; & calumniis, aut aliis machinationibus eis nocere cupiens. Invidia Siculi non invenere tyranni, majus tormentum. Huc odia, similtates, & tenacitas offensionū, seu **IMPLACABILITAS** pertinet.

**CONCORDIA**, est congruentia voluntatum in rebus legitimis, & animorum consensus, mutua lenitate, & offensionum condonatione, in rebus qua articulos Fidei non everunt, nec ladūt gloriam Dei, constans,

pro-

propter privatam & publicam tranquillitatem.

**MANSVETUDO**, est virtus, in offensionibus iram refrenans, & multa condonans humana imbecillitati, propter communem tranquillitatem, ac cum lenitate jus suum exequens. Huc pertinet & Longanimitas.

**IRACUNDIA**, est offensionibus etiam levibus mox accendi, & cupiditati vindictæ frena laxare dictis, factisque. Jacob. 1. Ira viri justitiam **DEI** non operatur. Huc referenda est **PRÆCIPITANTIA**.

**CONTENTIOSITAS**, est de rebus non necessariis movere lites, aut justas transactiones rescindere, aut legitimo judicio non acquiescere, aut declarationibus congruentibus pietati & veritati, non concedere locum. Sanctsucht.



DEFINIT. VIRTUTUM

**SEDITIO**, est in rebus pietatis, aut politicè rectis, ab aliis benè sentientibus discedere, ac suo scandalo alios perturbare, & movere illicita, in detrimentum Ecclesie & politia. Huc Factio pertinet.

**VINDICTA MAGISTRATUM**, est pœna, quam Magistratus contra delinquentes exercent, juxta leges. Rom. 13.

**PRIVATA VINDICTA**, est pœna, quam privati exercent sine vocatione, & contra leges. Rom. 13.

**INJURIÆ**, sunt dicta, facta q̄ contra jus, alios ledentia.

**DEFENSIO**, est injuriæ sibi illatæ legitima, ordinata à se & aliis propulsio.

**FORTITUDO**, est excellentia animi, qua injuriæ quædam tolerantur, absq̄ illegitima vindicta, &

est

*est defensio sui vel aliorum, vel justitia, vel executio pœnarum, legitimo modo, singulari animi & corporis robore, & cum egregia constantia.*

**TIMIDITAS**, est metu offensionum ac periculorum, pietatis & justitiæ patrocinium deserere, ac in defensione, aut executione pœnarum legitima, animum ac manus remittere, cum suo & aliorum damno. Vocatur & **PUSILLANIMITAS**, **TREPIDATIO**.

**PATIENTIA**, est obedire **DEO** in sustinendis adversitatibus, Ita ne à **DEO** deficiamus, vel ei irascamur, vel contra alia præcepta **DEI** faciamus, sed moderemur animi dolorem, & auxilium, & mitigationem à **DEO** expectemus. Ex Antithesi autem **IMPATIENTIA** facile cognoscitur.

DEFINIT. VIRTUTUM

**ZELUS**, est affectus amore & ira mixt<sup>o</sup>, quo cor amat rem aliquam impensè, & irascitur ei, qui rem adamat am ledit, aut tollit, & ardentè ulciscitur, & propulsat contraria omnia quantum potest, modo tamen legitimo.

**TEMERITAS** est sine verbo **DEI**, & sine vocatione, aut inconsultò, aliquid moliri aut agere, & majora viribus conari, estq; exitios<sup>o</sup> plerunq; licet interdum videatur succedere. Ut, Navigare post Brumam in Oceano, Volitare in aëre, ut Icarus. Vocatur etiam **TENTATIO DEI**. Thumkän sein / frech / freuelhafftig sein / den Hals wagen. Discerni autem debet à motibus divinis, & heroicis.



AD

## AD VI. PRÆCEPTUM.

**CASTITAS**, est donum DEI, quo puritas mentis & corporis, cum voluntate Dei congruens, retinetur, & vitantur omnes libidines à DEO prohibita. Ut in Baptista.

**COELIBATUS PONTIFICIUS** est, vovere castitatem, & abjurare conjugium per omnem vitam, sine peculiari DEI dono, tantum humanarum traditionum gratia, cujus fructus sunt, anima, & corporis contaminationes. 1. Tim. 4.

**ADULTERIA**, sunt pollutiones cum alterius conjugē.

**FORNICATIONES**, cum liberis personis.

**STUPRA**, cum desponsatis, aut nuptis.

**INCOESTVS** cum personis sanguine junctis, in gradibus prohibitis.

DEFINIT. VIRTUTUM

**SOBRIETAS**, est temperantia in victu, sanitatis, sanctitatis, & operum vocationis expediendorum gratia.

**EBRIETAS**, est potus immodica ingurgitatio, turbans Rationem, debilitans corpus, inopiam & damnationem adferens.

**TEMPERANTIA**, est moderatio cibi, potus, laborum & actionum, propter sanitatem corporis, & ad multa incōmoda praecavenda, juxta illud, **NE QUID NIMIS.**

AD VII. PRÆCEPTUM.

**VOCATIO**, est legitima ad certas & honestas operas adhibitio, quibus tibi & aliis prosis. Vult autē **DEUS** unumquemq; in vocatione aliqua honesta versari & laborare.

**LABOR**, est actio ingenii, vel

corpo-

corporis, in vera Fide ea efficiens, qua  
vocatio cujusq̄, aut necessitas non pu-  
gnans cum Lege DEI, exigit, ad lau-  
dem DEI, & hominum utilitatem.

SEDULITAS, est virtus, o-  
pera vocationis sua intelligens, eaq̄  
fideliter, & constanter perficiens.

PIGRITIA, est vitium, ope-  
ra vocationis sua non considerans, &  
infideliter, atq̄, remissè ea faciès, cum  
suo & aliorum damno. INFIDE-  
LITAS vitiat opera vocationis,  
Huc & INERTIA pertinet, hec  
est, non esse idoneum ad aliquam vo-  
cationem. Item, Ocium, quod est pul-  
vinar Satana.

POLTPRAGMOSTNE,  
est multa movere, suscipere & agere  
præter vocationem, cum neglectione  
operum propria vocationis, estq̄ sem-  
per infelix & damnosa.

DEFINIT. VIRTUTUM

**PROPRIVM**, *Sunt bona mobilia, & immobilia, quae jure tenentur pro suis, mundanae vitae servientia. Distinctio possessionū, est juris divini.*

**FURTUM**, *est rei vel communis, vel privatae abalienatio contra leges, invito Domino, in fraudem, vel detrimentum proximi.*

**RAPINÆ**, *sunt vel manifestè violenta, vel fraudulenta abalienationes eorum, quae sunt alterius.*

**PECULATUS**, *sunt rerum publicarum seu bonorum, illegitima abalienationes.*

**SACRILEGIA**, *sunt rerum Deo consecratarum illegitima abalienationes.*

**PARSIMONIA**, *est ordine ac convenienter res suas aeconomicas administrare, observando inter sordes, ac profusionem justam me-*

dio-

diocritatem, & aliquid ad necessarios usus reservare. Sicut vulgò dicitur: Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium.

**PRODIGALITAS**, est sumptibus non necessariis bona sua consumere, cujus quidem rei comes est egestas, & dolor. Vocatur & **PROFUSIO**.

**LIBERALITAS**, est virtus, egentibus de suis bonis opem ferens hilari corde, modo conveniente. Nam dandum est, ut Paulus inquit, non ut aliis sit remissio, tibi autem afflictio. 2. Corinth. 8. Vocatur & beneficentia, Item **ELEEMOSINA**. Quando erga benè meritos exercetur, tum est quadam compensatio, & gratitudo.

**TENACITAS**, est absq̃ necessitate, nec sibi nec aliis, ex bonis tem-



DEFINIT. VIRTUTUM

poralibus ordinatè benefacere. Vocatur & **SORDES**, non malè Euclionismus.

**AÛTAPNEIA** est esse contentum præsentibus **DEI** donis, & acquiescere in eius voluntate, nec impatientia, illicitis modis contra **Legem DEI**, plura appetere.

**AVARITIA**, est cupido accumulandi opes per fas nefasq̃, absq̃ saturitate. Hinc & **PLEONEXIA** dicitur, & comparatur inferno.

**USURA** est, quicquid supra sortem exigitur, mutuationis gratia, estq̃ praxis quædam avaritia.

AD VIII. PRÆCEPTUM.

**VERITAS**, est congruentia cum re ipsa vel divinitus insita, vel patrefacta, vel per institutionem, explo-

rati-

rationem, aut propriam experi-  
am cognita.

**VERACITAS**, est virtus, in  
omnibus sermonibus & vitæ actio-  
nibus, veritatem legitimè & non osci-  
tanter inquirens, & cognitam animo-  
sè & constanter profitens, & falsa atq;  
præstigias aversans, atq; detestans.

**CANDOR**, est virtus, ingenue  
& apertè sensa animi proferens in  
confessionibus, iudiciis, contractibus,  
omnibusq; vitæ negotiis, absq; adula-  
tione & metu offensionis, & sine dolo  
malo, propter gloriam **DEI**, proximi  
utilitatem, & sui ipsius conscientiam.

Opponitur autem candori **SI-  
MULATIO**, aliud ore, vel gesti-  
bus significans, & aliud corde senti-  
ens. Item, Fallacitas seu dolus malus,  
Perplexitas, Lubricitas, ἐπιπορευσις Aca-  
demica.

## DEFINIT. VIRTUTUM

**STOLIDITAS**, est vel non intelligere verum, vel non seriò inquirere, & falsitatibus temerè applaudere, cum suo, & aliorum malo. Dicitur & **Credulitas**, & habet precipitantiam sociam, quam sequitur confusio & pœnitentia.

**MENDACIUM**, est dictum non congruens cum ipsa re, siue sit præstigiis connectum, siue non.

**CALVMNIA**, est peccatum, quo ea quæ iusta & recta sunt, malitiosè interpretatione depravantur, aut falsa crimina intentantur, in alterius fraudem ac detrimentum. Dicitur & **Cavillatio**, **Verleumdung**. Huc & **Sophistica**, & **Hyphantia** spectant.

**OBTRECTATIO**, est alii absenti impingere facinora, aut rectè dicta, factaq; criminari, in alterius incommodum. **Afsterreden**.

**JUDICIUM POLITI-  
CUM**, est ordinatio Dei, qua juxta  
leges, controversiæ & facta, absq̃ pro-  
sopolepsia fideliter cognoscuntur, &  
dirimuntur, & facinorosi debitis pœ-  
nis, loco ipsius Dei, severiter afficiun-  
tur, justitiæ, disciplina, & tranquilli-  
tatis gratia. Rom. 13.

**Εμελιειω**, est moderatio summi ju-  
ris, propter probabiles causas.

**MISERICORDIA**, est affi-  
ci aliorum calamitate, & legitimis of-  
ficiis eos consolari, & juvare, & leni-  
re pœnas ex probabili ratione.

**Tyrannis supra definita est**: Pag.  
48. b.

**TESTIMONIA VERA**,  
sunt, de rebus rectè cognitis, justa &  
legitima asseveratio, veritatis causa  
facta.

**TESTIMONIA FALSA**,

sunt

DEFINIT. VIRTUTUM

*sunt, de rebus incognitis, vel contra veritatem testificari, ad alios fascinandos. Testis autem falsus, non erit impunitus. Proverb. 19.*

**HUMILITAS**, est agnoscere suas infirmitates & exigua dona, & in aliis majora dona suspicere, ac magnifacere, & reverenter se aliis subjicere, nec ultra vires, sineq; vocatione Dei quicquam moliri, sed in timore Domini, & Fide opera vocationis propria facere. **MODESTIA** est filia humilitatis, in verbis factisq; modum debitum observans.

**SUPERBIA**, est elatio animi, qua sese donis suis immodicè effert, & contemnit alios præ se, multaq; dicit, ac molitur fiducia suorum donorum, contra suam vocationē, contra Deum, & homines. Huc refer **JACTANTIAM**, **AMBITIONEM**, & similia.

G. R. A.

**GRAVITAS**, est in dictis, factis & moribus severitatem & constantiam, dignam tali vocatione & rebus ipsis (adjuncta tamen humanitate) prestare.

**CONSTANTIA**, est in piis, justisq; rebus, animi sententiam profiteri, & retinere, nec frangi odiis aut incommodis, ad eam deserendam.

**LEVITAS**, est crebro mutare sententias ad aliorum voluntates, & gestibus, verbis, factisq; indecore sese gerere sui ventris gratia. Tales sunt parasiti, Gnathones, proditores, Arundines, phormiones.

**GLORIA**, est testimonium propriae conscientiae, & aliorum rectè judicantium, de virtutibus & de piis & honestis factis.

**IGNOMINIA**, est mala fama propter scelera, aut conatus sus-

ceptos

DEFINIT. VIRTUTUM

ceptos supra vires, & non necessarios.

**JUSTITIA COMMUTATIVA**, est, qua in contractibus observat jus, & aequitatem.

**IMPOSTURÆ**, sunt in contractibus contra justitiam dolosè agere variis modis.

AD IX. ET X. PRÆCEPTUM.

**AMICITIA**, est conjunctio animorum cum quodam favore & fiducia, & communicatio honestorum officiorum mutua, qua in hac vita est necessaria.

**HOSPITALITAS**, est peregrinis vel notis, imprimis verò propter Evangelii confessionem, exulantibus, aut alioquin damno affectis amanter prospicere de hospiti-

is, eisquè humanitatis officia præstare.

**CONCVPISCENTIA**, est vitiosus cordis motus, alterius bona vel personas, palàm, vel insidiosè expetens, cum alterius damno.

**IUSTITIA UNIVER-  
SALIS**, est obedientia ergà Legem Dei, & alias humanas cum divina cõgruentes, & ad se pertinentes. Hinc Vocatur **IUSTITIA LEGA-  
LIS**.

**IUSTITIA PARTICV-  
LARIS**, est quæ suum cuiq; tribuit, ac pertinet ad secundam Decalogi tabulam potissimùm.

**IUSTITIA DISTRIBV-  
TIVA**, est quæ singulis convenientem locum, functionem, aut honorem attribuit, proportionè Geometrica. Hæc ad quartum præceptũ pertinet.



DEFIN. VIRT. ET VIT.

**JUSTITIA COMMV-  
TATIVA**, in contractibus aequa-  
litatem servat, proportione Arithme-  
tica. Hæc ad 7. & 8. præceptū spectat.

**JUSTITIA FIDEI**, est re-  
missio peccatorum coram Deo, & im-  
putatio obedientiæ & meriti Christi,  
per Fidem in Christum, quem mon-  
strat Evangelii promissio.

**CONSCIENTIA**, est ju-  
diciū cordis, de rectè aut secus factis,  
accusans tetra peccata, & ultionem  
Dei ex lege naturæ denunciāns, &  
stimulos terroris relinquens, licet ali-  
quandiu premantur. In rectis au-  
tem factis acquiescens &  
letans.

F I N I S.

L A U S D E O.

ORA-

ORATIO STUDIO-  
SORUM.

**I**ESU Christe Fili DEI vivi, qui propter me factus es homo, & ascendisti in cœlum, ut dona dares hominibus, te supplex oro, ut Spiritum sanctum, quem sanguine tuo miseris mortalibus peperisti, & paterne promisisti, ex misericordia mihi largiri digneris, qui meas tenebras illuminet, & in studiis literarum mihi benedicat, ut cœlestem & salutarem doctrinam à te patefactam, propter animæ meæ salutem, & Artes, humanæ vitæ necessarias, recte discam, & in totius vitæ meæ curriculo me gubernet, ut sim & maneam vas misericordiæ & organon salutare, te in hac & æterna vita celebrans, Amen.



D. MAR-

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

D. MARTIN. LUTHE.  
rus super 7. Psal. Grad. Tom.  
4. Pag. 457.

**E**GO etiam Theologus sum, qui medio-  
crem usum & peritiam sacre scripturae  
variis periculis sum consecutus: Sed non ita  
effero hoc dono, quod minus quotidie una  
cum pueris Catechismum, hoc est, Decalo-  
gum, Symbolum & reliqua mecum orem, &  
intento corde inspiciam, non tantum verba  
transcurrens, sed etiam observans quid sin-  
gula verba significant: Et sane cum hoc non  
facio, & aliis negotiis occupor, sentio inde  
certum incommodum. Verbum enim a Deo  
in id datum est, ut id nobis acuamus, (ut Mosi  
dicit) & exerceamus. Sine hoc exercitio a-  
nimi nostri contrahunt quasi rubiginem, ut  
ipsi nobis excidamus. Videmus, & quotidia-  
na vita satis magnum documentum est, quod  
homines cadant, & quibus excipiantur pe-  
riculis. Sed huius rei quae alia causa est,  
quam quod securi sunt, non orant, Verbum  
non audiunt, nec ruminant, contenti eo sunt,  
quod in libris habent & legere possunt. His

pau-

paulatim inserit Sathan contemptum verbi, deinde aut in subitã desperationem, aut alia pericula coniicit. Quid enim reliquum est, Verbo amisso, quo homo contra hunc hostem se munire & defendere possit? Theologi igitur est, assidue discere, assidue exerceri in verbo & oratione, non tantum quia res sunt maxima, quæ animo plene includi non possunt, sed etiã, quia adversarius noster non semel tentat, sed assidue. Ergo assidue verbo cõtra eum pugnandum, & orandum est. Ita ad populum Christi & Ecclesiam, seu redemptos & sanctificatos pertinet oratio. Increduli enim & impii non orant.

DIONYSIUS AREOPAGITA.

Ὁ θεὸς βαρτολομαῖος φησὶν τὸ  
εὐαγγέλιον εἶναι πλῆρὸν καὶ μέγα, ἔαυθις  
συντέλεμα μέγαν.

L. U B E C Æ  
*Typis & sumptibus LAUREN-*  
*TII ALBERTI Bi-*  
*bliopola.*



ANNO CHRISTI

M. DC. IV.

*Handwritten text, possibly a library stamp or signature, partially obscured by a circular mark.*











ET VITIORE

**GRAVITAS**

factis & moribus severantiam, dignam tantis rebus ipsis (adjuncta tantitate) prestare.

**CONSTANTIA**

justisq; rebus, animi constantia, fiteri, & retinere, nec in commodis, ad eam delectari.

**LEVITAS**, est

sententias ad aliorum gestibus, verbis, factis, gerere sui ventris gratia, parasiti, Gnathones, pediculi, phormiones.

**GLORIA**, est

propria conscientia, et judicantium, de virtutibus & honestis factis.

**IGNOMINIA**

ma propter scelera, a

